

De Ennii Scipione.

Ennium praeter annales alterum carmen historicum, Scipionem, scripsisse, notum est ad unum omnibus. Argumentum huius carminis praebuerant res gestae Africani maioris. Ita enim testatur Schol. ad Horat. ep. II, 1, 16: „Lucilius vitam Scipionis privatam descripsit, Ennius vero bella.“ Octo exstant fragmenta, quae ad hoc carmen referuntur (et in Ennii fragm. ed. Hessel. p. 165 — 169. et Both. poet. scen. Lat. vol. V. p. 59. 60.) sed, quod satis mirabile est, diversissimo metro conscripta. Hexametrum prodere videntur haec e Cic. de fin. II, 32: „Itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens:

Desine Roma tuos hostis (Cf. Cic. orat. III, 42.)

reliquaque praeclare:

Namque tibi munimenta mei peperere labores.”

Quum autem hoc loco carmen ipsum nomine non appelletur, sed obscure tantum significetur: dubitatio quaedam possit iniici. Attamen hexametrum invenimus laudatum a Macrob. Sat. VI, 4: (Ennius) „in Scipione:

Sparsis hastis longis campus splendet et horret.”

Qui versus quamvis et spondaeis abruptis et caesura deficiente indignus sit poeta elegantiore, tamen Ennio non est derogandus, quippe qui primus haec metra coluerit, facileque

aliqua minus emendata non dubitaverit proferre. Cf. Enn. Annal. VIII, 46. ed. Spang.; ibi vero caesura adest. Denique iam Lucilius tales numeros videtur vituperasse, teste Servio ad Virg. Aen. XI, 602. dicens, per irrisionem debuisse eum dicere: *horret et alget*.

Quartum nobis servatum est fragmentum a Trebellio Pollione in Claud. 7: „Dicit Ennius de Scipione:

Quantam statuam faciet populus Romanus,

Quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur.”

Haerent adhuc interpretes in metro horum versuum constituendo. Columna hexametros efficere conatur, Salmasius et Neukirch. (de fab. tog. Rom. p. 65.) Trebellium non verba, sed sententiam Ennii indicasse putant; Bothius coniicit: *populus Romulus*, et verbo *columnam* priorem versum finit. H. Meyerus denique (ad Anthol. vet. Lat. epigr. et poem. Lips. 1835. tom. I. p. 12.): „Hi versus, inquit, si revera versus sunt, Saturnio potius numero sunt conscripti: secundus certe eorum prorsus cum regula illius metri convenit, nec aliter iudicavit Passowius.“ Verumtamen, quum Ennius teste Cicerone orat. 51. versus, quos olim Fauni vatesque canebant, tantopere contempserit, nescio utrum recte statuamus, ipsum iisdem usum esse. Verum mihi videor augurari statuens, orationem pedestrem ab ipso Ennio consulto esse adhibitam.

Quintum affertur fragmentum ab Aul. Gell. IV, 7. his verbis: „Solius tamen Ennii versum unum (Val. Probus) ponit ex libro, qui Scipio inscribitur. Eum versum quadrato numero factum subiecimus, in quo, nisi tertia syllaba de Annibalis nomine circumflexe ponatur, numerus claudus est. Versus Ennii, quem dixit, ita est:

Qui propter Annibalis copias considerant.”

Versus est septenarius iambicus, quem A. Gellius quadrato numero factum appellat. Idem quadratos duos affert ex Ennii Saturis II, 29:

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm

Ne quid expectes amicos quod tu agere possis.

In posteriore versu si corrigas: *possies* (ut est apud Plaut. *Most.* II, 2, 34: *Metuo, te atque istos expiare ut possies.*), habebis tetrametros trochaicos catalecticos in syllabam. Ne vero putes, superiorem quoque versum fuisse trochaicum, cuius initio syllaba sit addenda (ut signo Bothius, tacite corrigendo Neukirch l. l. p. 65. alii indicaverunt), audias Terentian. p. 2434. ed. Putsch.:

„Sed hic trimetrus quando duplicem pedem

A capite sumet, [tānc] quadratus dicitur.

Idemque dictus est et octonarius.

Ergo ante versum collocabo iambicum:

Phaselus ille, quem videtis hospites.

Quadratus iste talis effici potest:

Adest celer phaselus ille, quem videtis hospites.“ 1)

Videmus igitur, versum quadratum eum esse, qui quatuor metris constet sive trochaicis, sive iambicis. Ultima autem in tali versu iambico dipodia nihil interest, utrum catalectica sit in syllabam aut in bisyllabum, ut metrici dicunt.

Fragmentum sextum apud Macrob. *Sat.* VI, 2. disertis verbis non de Scipione, sed ex Ennii Scipione laudatur:

Mundus caeli vastus constitit silentio,

Et Neptunus saevus undis asperis pausam dedit.

1) Verisimile est, metrum Satyricum apud Mar. Victorin. art. gram. II. p. 2527: „quod genus nostri in Atellanis habent“, nullum aliud esse, nisi versum quadratum. Quod ibi affertur exemplum, est septenarius iambicus. Praeter Ruffini ad Terentianum commentarium cf. Mar. Victorin. III. p. 2574: „Tetrameter catalecticus. Frequens hoc comicis metrum et praecipue antiquae comoediae scriptoribus; nostri quoque, Plautus et Caecilius et Turpilius non aspernati sunt, Atellanarum autem scriptores appetiverunt.“ Ex his igitur locis patet, Saturas et Atellanas idem habuisse saepenumero metrum. Plotius de metris p. 2646. loquitur de tetrametro Satyrico coluro, qui iambis constat.

Sol equis itiner repressit unguis volantibus,
 Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.
 Omnes hi versus sunt quadrati (secundus et quartus trochaici, tertius, quod observes, iambicus) excepto primo, qui septenarius est trochaicus. Habes igitur in hoc uno fragmento metrorum miram varietatem.

Fragmentum septimum, quod est e Cic. orat. 45. non potest certa ratione huic carmini vindicari, quum Cicero eius nomen non attulerit :

Scipio invicte.

Fortasse in hexametrum est redigendum. Hiasse enim Ennius in hoc uno loco a Cicerone dicitur. Non minus tamen hoc fragmentum interpretes ad Scipionem retulerunt, quam octavum illud (hexametri, ut videtur) petitum e Cic. orat. III, 42 :

Testes sunt campi magni.

Idque non sine veri quodam sensu mihi videntur statuisse.

§. 2.

Quibus consideratis quaeritur, qualis fuerit Ennii Scipio, utrum ad carmina epica, an ad fabulas, an ad aliud denique genus sit referendum. Multi philologorum, insignes sane et docti viri, epicum fuisse statuerunt. Ad quam sententiam ducti esse potuerunt et materia carminis ipsa et loco quodam Suidae huc pertinente s. v. *Ἐννίος*. *Ἐννίος Ῥωμαῖος ποιητής, ὃν Ἀλλιανὸς ἐπαινεῖν ἄξιον φησί. Σικυπῖωνα γὰρ ἄδων, καὶ ἐπὶ μέγα ἐξάραι τὸν ἄνδρα βουλόμενος, φησὶ μόνον ἂν Ὀμηρον ἐπαναξίους ἐπαίνους εἰπεῖν Σικυπῖωνος. Ἀήλον δὲ ὡς ἐτεθήπει τοῦ ποιητοῦ τὴν μεγαλόνοιαν, καὶ τῶν μέτρων τὸ μεγαλεῖον καὶ ἀξιόγαστον· καὶ ὡς ἐπαινεῖσαι δεινὸς Ὀμηρὸς ἐστὶ καὶ κλέος ἀνδρῶν πυργῶσαι τε καὶ ἄραι, ἐξ ὧν ἐπήνεσε τὸν Ἀχιλλεῦα καλῶς, ἐπίστατο δὲ ποιητὴς ὁ Μεσσήπιος.* Ad eos vero, qui Ennii Scipionem carmen fuisse

epicum statuerunt, pertinent F. A. Wolf. (Vorlesg. über röm. Litt. ed. Gürtler. Leipz. 1832. p. 127.), Blum. eumque sequutus Neukirch. Posteriores hoc carmen versibus tantum trochaicis compositum fuisse arbitrantur. Ad quam sententiam refutandam sufficit veterum auctoritas, qui versus et hexametros et trochaicos et iambicos e Scipione nobis tradiderint.

Alii vero quum intelligerent, veterum neminem carmen epicum nisi perpetuo aliquo metro, hexametro scilicet, panxisse: in eam prolapsi sunt sententiam, ut Scipionem tragœdiam fuisse crederent, vel fabulam potius historicam, quam Romani praetextam appellant. Hanc amplexi sunt opinionem Delrius, Bulengerus, Ger. Io. Vossius, Planckius et Bothius. Cf. Neukirch. l. l. Verumtamen nemo mihi persuadebit, ab Ennio amicis virum tam clarum vel viventem adhuc, vel modo mortuum in scenam esse productum. Quod omnino contra pietatem Ennii dignitatemque ipsius Africani esse, quis non concedat? Hoc igitur statuo, *Ennii Scipionem fuisse Saturam*. Has autem habeo causas: primam, quod carmen neque epicum, nec dramaticum, nec lyricum esse possit; secundam, quod in fragmentis omnia inveniantur momenta, quae Saturae Ennianae sunt propria. Cf. Diomed. III. p. 482: „Satira dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae characterem compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius; et 2) olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.“ Tertia causa eaque admodum gravis est illa ratio, qua fragmenta ab Aul. Gell. IV, 7. ex hoc carmine afferuntur, scilicet: „ex libro, qui Scipio inscribitur.“ Quod carmen si epicum vel fabula fuit, haec verba non intelligo. Ex mea sententia supplendum est: Satirarum. Quasi praeteriens porro versum quoque quadratum huc vocare poteris

2) Coniicio: *sed*.

ut metrum antiquarum Satirarum et Atellanarum. Est enim saepius apud Lucilium quoque. Quartam habeo caussam eamque vix refellendam, quod fragmentum aliquod ab omnibus uno ore ad Ennii Scipionem referatur, quod idem in Satiris est. Illud enim Ennii apud Ciceronem:

Testes sunt campi magni.

apud Nonium quoque s. v. *politiones* auctius aliquantum legitur ex Ennii Sat. lib. III:

Testes sunt

Lati campi, quos gerit Africa terra politos.

Discrimen enim illud *magni* et *lati* non urgebis, quippe quod facile potuerit oriri ei, qui e memoria versum ascribat. Quemadmodum igitur Lucilius (teste Schol. ad Hor. ep. II, 1, 16.) vitam Scipionis privatam per Saturam descripsit, ita Ennius bella maioris; idque fecit libro Satirarum tertio.

Ad Scipionem igitur referenda sunt etiam cetera illa fragmenta a tali argumento non aliena, quae ex Ennii Sat. lib. III. apud Nonium leguntur (fragm. ed. Hessel. p. 187.), sed illa quoque, quae (ibid. p. 162.) epigrammata nominantur. Non enim video, quomodo Ennius talia, si revera fuerint, popularibus potuerit communicare, nisi Satira aliqua.

Quae ita probasse nobis videmur, non ad Ennium solum pertinent, sed ad antiquam omnino Romanorum Saturam. Patet enim, formam Saturae revera tam variis numeris fuisse compositam, quam quibus veteres tradiderint. Versum potissimum quadratum ut metrum Satirarum proprium aliquod cognovimus. Denique Saturae argumentum fuisse vidimus res viri magni gestas; idque non levissimum aestimant viri docti huius disputationis qualiscunque momentum.

Bonnae d. 18. Nov. 1836.

Dr. Laur. Lersch.
